


DILUCIDATIO
SELECTARUM
QUÆSTIONUM
IN
APOCALYPSIM
S. JOANNIS
APOSTOLI.

AUTHORE

F. MARTINO WOUTERS,
Ordin. Erem. S. P. Augustini, in Alma Univ.
Lovan. Ss. Theol. Lic., Provinciæ Flandro-
Belgicæ Secretario, & antehac SS.
Liter. Professore.



CUM APPROBATIONIBUS




WIRCEBURGI,

MDCCLXII.

Typis & Sumptibus, Joannis Jacobi Stabel,
Per Wolf, Christoph. Kobles, p. t. Fac.





P R Æ F A T I O.

V Erbum *Apocalypseo*; id est
 Revelationis, propriè Scrip-
 turarum est: & à nullo Sa-
 pientum hujus sæculi apud
 Græcos usurpatum. Ita S. Hieron. in
 cap. 1. epist. ad Galat. *Apocalypsis* itaque
 est vocabulum Græcum, Latinè signi-
 ficans *Revelationem*. Derivatur à verbo
Apocalypsoo, quod apud græcos est anti-
 quissimum ac usitatissimum. Sicut au-
 tem hodie nos Latini rectè dicimus: *Ad-
 juvo*, *adjutus*, & similia, & tamen vox
adjutio est barbara, ac minimè Latina, ita
 olim apud Gentiles Græcos viguit ver-
 bum *Apocalypsoo*, non verò vox *Apoca-
 lypsis*. Unde sicut Cicero à verbo *beo* pri-
 mus derivavit vocem *Beatitudo*, ita Apo-
 stoli à verbo *Apocalypsoo* primi derivave-
 runt vocem *Apocalypsis*. Primus vero de-



QUÆSTIO PROOEMIALIS I.

AN APOCALYPSIS SIT SACRA ET CANONICA
SCRIPTURA ?



Ubi de authoritate & authenticitate huius libri olim nonnulli dubitaverint, testatur Dionysius Alexandrinus in libris de Repromissionibus, cujus verba referuntur ab Eusebio lib. 7. Hist. Eccles. cap. 23. „ Quidam Alexandrini Episcopi „ inquit „ Eusebius „ qui eum præcesserant, librum hunc „ neque Joannis Apostoli esse dicebant, neque inter „ Canonicos numerandum. „ Imò S. Hieron. Epist. 129. scribit Ecclesias Græcas liberè Apocalypsim non recipere. Inter antiquos Hæreticos Cerdo & Marcion, inter novos verò Lutherus, Brentius & Kemnitius Apocalypsim rejecerunt. Erasmus quoque in suis annotationibus in Apocalypsim varia contra ejusdem libri authoritatem objicit, Verùm

Resp. & dico : Certum, & de Fide est Apocalypsim esse Sacram & Canonicam Scripturam.

Prob. 1. Quia id sub anathemate definitum est à Concil. Trid. Sess. 4. Similiter in catalogis librorum Sacrorum à Concil. Carthagin. III. & ab Innoc. I. itemque à Concilio Romano sub Pontifice Gelasio, nec non à Concilio Florentino editis, semper recensetur Apocalypsis S. Joannis cum reliquis